DE
SALIVATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE XI. M. IUL. A. MDCCCLXI

HORA XI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS GUILELMUS KRAUSE,

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

A. SEELIGMUELLER, CAND. MED.

W. GEISS, CAND. MED.

HALIS,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

PATRI OPTIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ut de glandularum salivalium secretione adaucta, quam Salivationem vocant, Libellum conscriberem, commovit me, quod exempla nonnulla huius morbi collecta habebam, quae tam ab aliis medicis compereram, quam ipse propria intuitione et curatione perspexeram. Sane fit salivationis in variis pathologiae compendiis mentio; attamen plerumque non nisi ad eum modum, ut facile desideret aliquis extentiorem enarrationem. Non igitur id fuit in consilio meo, ut hoc opusculum novi aliquid necdum cogniti afferret, sed ut undicunque congererentur et in unum componerentur, quae apud alios inveneris dispersa, et nullo certo ordine disposita, utque brevissima dissertatiuncula varias Salivationis formas exponerem.

Priusquam de glandularum salivalium secretione abnormiter aucta disseram, liceat pauca mihi antea commemorare, quae et ad compositionem chemicam salivae normalis, et ad habitum tam anatomicum quam physiologicum glandularum salivam secernentium respiciunt.

Saliva, secretionis productum glandularum salivalium circa cavum oris adjacentium, et pituitae, quae secernitur e glandulis pituitariis oris, habet in centenis particulis fere nonaginta novem aquae et unam partium solidarum; hae vero sunt, (praeter squamulas cuticulares maximam partem ad cavum oris pertinentes), sales anorganici; calcaria phosphorica et carbonica, Magnesia phosphorica et carbonica, kalium chloratum, natrium chloratum; praeterea etiam substantiam organicam, quae vocatur materies pituitae, Ptyalinum.

Glandulae vero, quae secernunt salivam, sunt ter binae glandulae salivales magnae: glandula parotis, glandula submaxillaris, glandula sublingualis, quarum

prima per ductum Stensonianum, secunda per ductum Whartonianum, tertia per ductus Rivianos cum cavo oris communicationem habet; denique ad magnum hunc apparatuum miscendis oris liquoribus inservientium numerum accedit, glandula in extrema lingua sita [glandula acrolingualis].

Glandulae salivales sunt e numero earum glandularum, quibus nomen inditum est glandularum acinosarum, et quidem constant e certo lobulorum glandularium numero et e ductu eductionis ramoso. Ex his glandulis per secretionem excedit pituita limpida, subflava admixtis fortuito cellularum fragmentis et granulis, quae acido acetico cogitur inque residuo non dissolvitur. Haec pituita complet eductionis ductus ceteraque glandularum spatia usque in extremos fines et in his quoque admixto acido acetico facile solvitur.

Varia est salivae trium illarum glandularum salivalium consistentia, qua de re optime doctissimeque occupatus est, Bernardus Franco-Gallus; secundum hunc saliva glandulae sublingualis est lenta, densa, lubrica reddens corpora contactione; procedit non nisi post perfectam absolutamque mandurationem interque devorandum large fluit. Saliva contra glandulae parotidis est tenuis et facillime materies solutioni obnoxias solvit; secernitur multo plus in usu ciborum siccorum, quam

humidorum. Medium fere inter has locum habent qualitates salivae glandulae submaxillaris; haec enim glandula tunc uberrime secernit salivam, si substantiae acutae acetum exempli causa, in os inducuntur.

Quod ad multitudinem salivae intra viginti quatuor horas in cavum oris effusae, aestimata est circa decem ad duodecim unciarum. Haec vero quantitas morbis quibusdam valde interdum augetur et hanc quidem abnormiter auctae secretionis salivae formam, quae est nimis copiosa secretio vulgoque Salivatio vocatur, in sequentibus paucis tractare huius est dissertationis munus.

Quacunque causa haec aucta salivae secretio adducitur, fere semper certi quidam prodomores eam antecedunt; hi vero sunt symptomata congestionis, cum irritatione aucta glandulas salivales versus partesque glandulas adiacentes apparentis. Symptomata talia sunt maxime aestus et siccitas cavi oris, sitis auctior, tumor, sensibilitas provectior; etiam glandularum salivalium dolor. Accedunt dolores in movenda maxilla inferiore, dolores rheumatici a tergo humeros versus, colli rigor, rubor levis et superficiem afficiens membranae pituitariae cavi oris, pharyngis, linguae; gingiva tumida, e contactu levissimo facile sanguinem emittens, nec deest

saepenumero odor teter et putidus. Inque his symptomatibus sensim augetur salivae secretio.

Deinde vero, si Salivatio ipsa apparet, secretionis non solum quantitas augetur, sed etiam qualitas mutatur. Saepius enim profluit saliva, ita ut semper impletum sit os aegrotusque saepius cogatur spuere. Etiam inter dormiendum non intermittitur secretio, saliva aut ex ore quoque profluente, aut in larynge recedente, ibique praesertim si acris est, movente tusses vehementes suffocationesque.

Simul etiam alia est compositionis salivae ratio, cuius rei signum habeas iam saporem mutatum, qui est modo salsus, modo dulcis, modo putidus, modo acer, atque hunc quidem acerrimum saporem tum praesertim habet saliva, si antecesserunt curationes mercuriales. Tum enim saliva non modo inflammationes movet cavi oris efficitque pseudomembranas in superficie membranae pituitariae oris, gingivae, linguae, genae, nec non aphthas et ulcera, sed etiam, ubi devoratur, stomachi dolores et vomitus.

Quod autem attinet ad chemicam qualitatem salivae, ex omnibus de ea re institutis quaestionibus apparuit, pondus eius specificum abnormiter auctum esse, instituit vero doctissimas optimasque quaestiones Wrightius, Anglicanus. Hic autem reperit, esse huius

abnormis salivae pondus specificum provectum ad 1,059, quum normalis non sit ultra 1,007 ad 1,009. Tamen non quoque nonnunquam venit, ut nulla reperiatur ponderis specifici auctio. Praeterea etiam (et dubites, num hoc commemoratione sit, quam miratione dignius), constat, in salivatione diutius manente pondus specificum ex auctione minui et quidem minui haud raro ad solitam normam; non nisi rarissime inter ipsam salivationem augetur et ad normam suam redit finito demum morbo. Etiam chemica compositio differt a solita norma; etenim particulae organicae salivae, ut pituita, albumen, Ptyalinum, Cellulae epitheliales detusae etc. plerumque maiore adsunt multitudine; reperiuntur etiam praeterea, si diutius perseverat salivatio, corpuscula sanguinis et puris. Initio quod secernitur est subdensum, albidum, pituitae assimilem. Deinde vero fit tenue, liquidum, magis minusve limpidum, nonnunquam etiam rubrum si sanguine tinctum est. Contra lentam reperimus salivam, ubi habitus salivationis, qualis initio fuit habitus erethismi, cedit incipienti nervorum debilitationi.

Hinc observatio notissima, salivam lentam, tenacem, quam non nisi cum labore evomit aegrotus, vel etiam interruptum omnino et repente Ptyalismum, tam in Typho, quam in Variolis signum esse infaustissimum et nuntium mortis appropinguantis.

Praeter haec symptomata pathognomica salivationis serius ociusve alia quoque accedunt secundaria. Huc iam pertinent ulcera et aphthae cavi oris, gingiva tumida, sanguinem mittens, decolor, solutio dentium; multo magis diutius durante morbo varia apparatuum digestionis vitia appetitus defectus, concoctio et sustentatio turbata, febris adynamica, hydropis primordia; spatium salivationis est inter unam et sex hebdomades, prout morbi fuit vis atque impetus. Accidit tamen, ut etiam menses continuos et ultra maneat.

Nec minus quam spatium, varius est etiam exitus; salivatio enim aut eum habet finem, ut, si recte curetur morbus is, qui est eius causa primaria paulatim recedat; aut finitur per tralationem; quam minuitur irritabilitas excedens glandularum salivalium et transfertur ad organia alia. Tum plerumque existunt Diarrhoeae, aut largae sudoris seçretiones. Etiam medicus saepe hac ratione utitur (exempli causa tum, quum secretionibus mercurialibus adducta fuit salivatio), ut Ptyalismum sistat adhibitis medicamentis purgativis. Potest vero salivatio etiam evadere in morbum alium chronicum, potissimum, (ut iam supra commemoravimus in morbos eos, qui arcte cohaerent cum turbationibus functionum organorum tam digestionis, tam deglutitionis; denique fieri etiam potest, quamvis rarissime et non nisi plane exhausto

et debilitato corpore, ut mors aut adducatur aut saltem acceleretur, suffocatione, gangraena, febri putrida, aut alio accedente morbo generali. Tamen plerumque Ptyalismus exit in restitutionem integram valetudinis; sensim sensimque desistunt affectiones, remanente in aliquid temporis sensibilitate gingivae et inclinatione magna ad aegritudines dentium.

Varia possumus salivationis genera discernere. Primum, si respicimus ad habitum salivationis, est status erethismi, irritabilitas aucta glandularum salivalium, quam sequitur maior harum glandularum secretio. Atque hoc usu aperte firmatur, quum in morbis synochalibus glandularum salivalium Ptyalismus non adsit et incipiente debilitatione evanescat, contra talibus remediis, ut mercurialibus, masticatoriis acribus, applicatione vesicatoriorum emplastrorum prope glandulas salivales etc., per artificium possit moveri iterumque iis remediis temperari et opprimi, quae auctam partium afflictarum sensibilitatem aut immediate ut camphora, praeparata sulphurica etc., aut antagonistice, ut remedia purgativa, pedum lavacra acria cet. deprimunt.

Quodsi ad fortuita discrimina respicimus, habemus Ptyalismum spontaneum et Ptyalismum artificialem, i. e. talem qui usu Hydrargyri aut remediorum acrium adductus est. Deinde habemus Ptyalismum idiopathicum,

secundarium, consensualem (qualem in neonatis videmus eo tempore, ubi dentes prorumpunt, in Hypochondria et Hysteria, in vitiis organicis abdominalibus; inque his nonnumquam simul Ptyalismus vocatur habitualis). Praeterea huc pertinet Ptyalismus periodicus, qui praesertim in Hystericis impetibus comes est paroxysmi.

Nominandus est etiam Ptyalismus epidemicus et criticus, quorum prior, quamvis raro, tamen reperitur nonnunquam in iis morbis, qui charactera habent epidemicum et e quibus ipse pendet, sicut in epidemiis variolarum. Ad ptyalismum criticum multae respiciunt observationes *), in quibus salivatio fuit criterio cuiusvis generis, morborum tam acutorum, quam chronicorum, Typhi, febris putridae, febris intermittentis, Paralyseos particularis, plurium morborum nervorum, Epilepsiae, vesaniae, Melancholiae, Hydrocephali interni.

Denique salivatio modo simplex est, modo (et hoc saepius accedit) coniunctus cum aliis morbis, qui aut secundario modo ipsam movent, ut Variolae, Typhus, Hysteria, Hypochondria, vitia organica intestinorum, alvi, aut quorum ipse fit causa movens remotior, ut

---

*) Cf. sis Reilii Archivum, in quo undique collatas has observationes reperias.

ulcerum oris et istorum dyspepsiae et sustentationis turbatae generum, quae supra commemoravimus.

Certa quaedam ad Salivationem inclinatio in universum non potest ostendi; id tantum usus docet, eos homines, in quibus irritabilitas excedens est nervorum, exempli gratia feminas hystericas magis inclinare ad hunc morbum; nec minus homines, qui iam antea post usum Mercurii salivationibus obnoxii fuerant, vel mediocriter usos hoc remedio iterum incidere in salivationes. Fere tali modo momenta salivationem efficientia ad certum ordinem disposuerit aliquis:

Primum sunt talia, quae irritabilitatem et secretionem glandularum salivalium localiter augent. Huc pertinent et varii morbi cavi oris, dentes cariosi, vehemens dentium dolor, infantium dentitio, aphthae, ulcera, calculi vel sub lingua vel in ductibus salivalibus, fracturae maxillae inferioris; et effectus localis remediorum acrium et irritantium, ut manducatio et fumatio herbae Nicotianae, manducatio baccarum Iuniperi, sinapis, radicis Pimpinellae, radicis Pyrethri, Tincturae Cinnamomi, Tincturae Zingiberis, radicis Caryophyllatae, aliorum huius generis remediorum. Etiam acida acria, prae ceteris acidum sulphuricum, acidum muriaticum, nec non aether sulphuricus, spiritus sulphurico-aethereus, olea aetherea, si ori infunduntur, eundem effectum

habent. Nonnulli etiam contendunt, commercium quoque eorum, qui salivatione afflicti sunt, nonnumquam transferre in alios salivationem.

Deinde magnum habet ad secretionem salivae momentum nervorum systema; secundum praestantissima experimenta Ludwigii augetur irritatione nervi lingualis a trigemino orti, facialis, glossopharyngei et haec auctio tum quoque fit, si dissecatur nervus lingualis et glossopharyngeus finisque eorum centralis irritatur. Hic igitur putandum erit, irritationem a nervis dissectis ad nervorum fibras secretionem salivae mediate adducentes tralatam esse; et haec ipsa salivae secretio habenda erit tanquam reflexio. Nervorum autem systema revera esse huius ad secretionem salivae momenti clarissime ostendit notissima haec res, quod iam mera imaginandi vi, mera imaginatione delectationis palati saliva movetur (ut nos dicimus: das Wasser läuft ihm im Munde zusammen); quodque similem effectum in nonnullis hominibus ad irritationes inclinantibus, habent quivis motus animi, vel soni horridi tetrique, ut strepitus vestium sericarum, scribillatio vasorum porcellanicorum, contritio cultri furcaeque, etiam rasura. Qua de causa homines sensibiles maxime inclinant ad salivationem, quam haud raro iam supra vidimus apparere in Hysteria et Hypochondria neque aliter possunt nonnulli Ptyalismi

casus recte intelligi, quam ex abnormiter aucta reflexionis irritabilitate nervorum vasomotoricorum systematis glandularum salivalium.

Saepius tamen salivatio adducitur talibus causis, quibus, ut concitantibus, tribuitur vis medica augendi maximopere irritationem secretionemque systematis lymphatici in universum. Huiusmodi maxime putatur esse mercurius, qui, ut primo intuitu apparet eius vis ad commutandum habitum segnem et non concitatum systematis reproducentis, ita simul suo modo istas commutationes glandularum salivalium efficit et hanc ob causam praecipua est Ptyalismi causa. Et quae antecedunt salivationem mercurialem, haec nemo negaverit esse signa perspicua erethismi, quem hoc remedium movet in glandulis affectis.

Nonnunquam vero salivatio adducitur etiam similium Mercurio medicaminum usu, ut Jodi et praeparatorum auri. Ante hoc tempus etiam stibio sulphurato-aurantiaco similis vis tributa est.

Nonnunquam, ubi Ptyalismus momentum habet criseos in febribus quibusdam epidemicis, maxime in Variolis videtur potius accedere causa dyscrasica initiumque capere Ptyalismus ex ipsa abnormi sanguinis mixtione. Satis est hic commemorare salivationes, quales usu

veniunt interdum in febri intermittente, in Typho, in scorbuto, in arthritide, aliis.

Potest etiam accidere, ut nervi vasorum et ductuum eductionis sint quodam atoniae et paralyseos statu. Huc referenda est salivatio multorum senium et stupidorum, Ptyalismus habitualis eorum, qui fumum ducere solent herbae Nicotiane, vel eorum, qui salivare assueverunt.

Denique potest salivatio existere vice alius secretionis. Exempli gratia observatum est, nonnumquam salivationem apparere oppressa pedum sudatione, oppressis menstruis urinaeque secretionibus, et statim evanescere, ubi turbatio functionis alterius secretionis soluta est.

Diagnosin salivationis ex antecedentibus apparet haud ita difficilem esse; si cui curandus est aegrotus multum salivans possuntque inveniri anamneseos causae qualescunque earum, quas supra commemoravimus, nullus dubitabit, quin cum Ptyalismo sit sibi res; namque accidere vix potest, ut confundat hunc morbo alio.

Cum Salivatio rarissime sit morbus primarius, pendet prognosis eius ante omnia e causis moventibus, maxime ex iis morbis, quibuscum symptomatice solet coniuncta esse; qua de causa multo minoris est et momenti et periculi Salivatio, ubi oritur ex istis, quae supra commemoravimus, incitamentis glandulas salivales localiter afficientibus aut ex usu Mercurii. Difficilior

autem est prognosis, si Salivatio originem ducit a morbis organicis, haud raro immedicabilibus alvi, in typho, inque Variolis per se non infausti ominis habenda est, hic enim indicat exaltatam systematis nervorum concitationem, quae torpore et paralysi (simul cum his salvatio repente cessat) multo est praestantior. Respiciendum praeterea est in prognosi etiam ad multitudinem salivae secretae et ad spatium morbi; namque si tanta est ubertas salivae, ut ad duodecim quotidie libras profluat, et si diutius durat Salivatio, haud raro oriuntur morbi chronici apparatuum digestionis, ulcera maligna cavi oris, sustentatio turbata, tabes, febris hectica, saepissime tunc mors sequitur.

Curatio salivationis valde varia est, neque certum quendam saepenumero eventum habet, nisi causa movens morbi nota est.

Indicatio prima erit in semovendis causis efficientibus; hinc iam elucet, tam varias esse curationes, quam variae sunt Salivationis causae. Si dentes cariosi, ulcerave circa glandulas salivales nata adduxerunt Salivationem, haec erunt extrahenda. Si vero morbis acutis adiunctus est Ptyalismus, hos morbos, prout natura sua exigit, curabimus, si enim hi fuerint oppressi vel comminuti; etiam Salivatio nullis ad solam hanc curandam adhibitis medicaminibus per se comminuetur. Tan-

tum prospiciendum est, ne glandulae tegmine fovente careant, cavendumque sive flanellis, sive pulvillis aromaticis, ne hae partes refrigerentur eaque re reprimatur Ptyalismus. Si Salivatio nascitur e morbis chronicis, hi prius removendi sunt secundum eas regulas, quae in his morbis indicatae sunt.

Hic potissimum commemoranda videtur curatio Salivationis ex usu mercurii ortae, quam finire tali modo conabimur, ut statim initio Salivationis mercurium in intestinis restantem medicaminibus purgativis educamus, deinde vero talia remedia eligamus, quae mercurii effectus tollant. Huc quadrant praeparata Sulphuris, quae priori tempore specificam habere vim putabantur: Sulphur depuratum et praecipitatum, Kali sulphuratum, Calcaria sulphurata, sive in pilularum formam redacta, sive pulverum. Ad usum externum laudandae sunt aquae sulphuratae et Kaliatae: Warmobrunnenses, Wisbadenses, Teplicenses; Aquisgranenses cet. His simul addimus remedia talia, quae irritationem glandularum salivalium mercurio adauctam temperant, cuius generis potissimum est, Opium, quod adhuc habetur remedium specificum. In usum externum adhibenda erunt gargarismata, levia salvia, decoctum Althaeae, in usum internum postea, si valde est debilitatus aegrotus, Tonica, extracta amara, Chinae cortices, inque exitu curationis Ferrum.

Iure recentiori tempore inclaruit in hoc genere Salivationis Kali oxymuriaticum, ab Herpinio primo commendatum, namque ex quo primo adhibitum est, haud pauci innotuerunt casus, in quibus iam post duos dies Salivatio plane sublata fuit; imo etiam in gravissimis Salivationibus post quinque ad sex dies quaevis symptomata mala remota fuerunt, ita ut ad integritatem valetudinis aegrotus paullatim restitueretur. Et mihi ipsi e praxi mea clinica bis innotuit accidisse, ut, postquam per octo dies hoc remedium adhibitum fuit, sanatio perfecta sequeretur, nec quidquam iniqui resideret. Plerumque ita adhibetur Kali chloricum, ut in singulos dies singulae drachmae senis unciis aquae solutae dentur ad unum in horam cochleare. Kali chloricum plerumque plane sufficit ad perfectam ulcerum cavi oris sanationem; si vero non, remedium opportunissimum est lapis infernalis. Lingua si vehementer tumet, Sacrificationes fient; etenim si maior adest glandularum salivalium irritatio, haec ante omnia levanda est, atque hac in re praestantissimum usum habent, Camphora et Opium, praeterea vegetabilia quaedam camphorata, ut Radix Serpentariae cet. Extrinsecus adhibenda sunt tegmina glandularum salivalium foventia et pulvilli aromatici. Nec minoris, quam haec remedia, praestantiae sunt revulsiva: Nonnulli quidem medici praecipue initio

Salivationis Emeticum commendaverunt, ut abrumperent morbi progressum; attamen ab hoc remedio propter incertitudinem decessum est. Praestantiores etiam sunt derivationes ad intestina, atque hic potissimum commemoranda sunt remedia purgativa vegetabilia, ut Senna, praeterea omnes quoque purgantes sales medii et neutrales. His adiunguntur extrinsecus derivantia remedia, emplastra vesicatoria inter humeros, pedum lavacra, acria, lavacra tepida corporis, itemque frictio corporis et, si constans est et diuturna Salivatio, ulcera artificialia, fonticuli in brachia collocati, Cortex Mezerei, Emplastrum stibiatum. Si vero aegrotus huiusmodi secretione nimis magna et diutius durante debilitatior est, vice remediorum purgativorum adhibebimus remedia tonica, ut Corticem Chinae, radicem Quassiae, Colombo, extracta amara, denique ad curationem extremam praeparata ferrata.

Si, ut saepenumero fit in salivationibus, ulcera adsunt, gingivaque sanguinem mittit, initio certe opus est curatione locali per gargarismata leviter adstringentia. Si vero habitum septicum assumunt ulcera, maxime usu veniunt remedia antiseptica; localiter adhibentur penicillaria, ut acidi muriatici, drachma una et duae in unciam unam Syrupi mororum; apte etiam tin-

guntur ulcera Zinco sulphurico, Cupro sulphurico; praecipue lapide infernali.

Tertium medicum respiciendum est ad rationem fortuitam Salivationis, observanda eius ratio causalis, complicationes, habitus vel criticus, vel symptomaticus. Exempli gratia Salivationem criticam in Variolis (et ubicunque modo cessat, modo apparet in morbis aliis), in universum oppresseris, nedum remediis externis; est enim redeuntis activitatis vitalis documentum, et, quum sït affectio localis, curanda est admodum supra dictum tegminibus calidis aridisque et aromaticis. Neque aliter habet in Salivatione cum typho coniuncta, quumque et ipsa sit habenda signum faustissimum, vitandum est, quidquid repente eam opprimere possit.

Denique pauca mihi dicenda sunt de diaeta deque vitae instituendae ratione et regula. Diaeta sit, quum in universum nutriens et corroborans, tum praesertim apta ad eos morbos, quibuscum salivatio coniuncta est. Redeunte valetudine secunda adhibenda sunt, Tonica, praeterea diaeta corroborans, lavacra tepida aromatica, lavacra Kalii et sulphuris, in extrema curatione utatur aegrotus lavacris ferratis tam artificialibus, quam naturalibus et intrinsecus variis praeparatis ferratis.

Huc usque quum Dissertatio processerit, liceat pauca addere exempla et quidem primo de tali

casu, in quo certa investigari salivationis causa non poterat.

Vir quidem (Schneidero nomen) corporis robusti-validique et oris florentis iam per complures ex ordine dies hora eadem vespertina impetum febris expertus erat, et quidem satis vehementem nec diutius, quam fere dimidium horae durantem. Pulsus fuit durus, paullulum citatus; prolocutio aspera, male sonans, sitis adaucta, contra appetitus non valde turbatus. Iteratio continua redeuntium quovis vespere frigorum videbatur indicare febrim quotidianam, quamvis nulla lienis amplificatio posset animadverti. Ad instituendam curationem deinde remedium emeticum dabatur, ex quo aegrotus per noctem sudabat, intermittebaturque die insequente frigus. Iam vero aegrotus conquerebatur de dolore gingivae, et postquam quaestio ea de re habita est, reperiebatur inflammatio magna totius cavi oris, etiam tumebat gingiva, fuitque livida et dentes nonnulli laxati; nec dum appropinguaverat nox, quum salivatio satis vehemens orta est. Quum vero in ceteris valetudo viri satis esset laudanda, nihil remedii dabatur contra salivam, et iam paucis intermissis diebus valetudo Schneideri ad statum integrum redierat.

Minus prosperum eventum habebat alius salivationis casus. Vir quidam fere triginta annorum, quem

opinabantur syphili secundaria aegrotare, mercurialibus curabatur; sed statim post primas doses tanta oriebatur Salivatio, ut sisteretur illud remedium. Gargarismatis Decocti Althaeae per aliquot dies continuatis desinebat salivatio et aegrotus poterat ad Mercurialia redire; nec tamen praeterierant dies sex, quum iterabatur salivatio, sed aucta vi: Aegroto assurgebant ulcera in cavo oris decolore, respiratio fuit foetida, gingiva levissimo contactu sanguinem mittebat et complures dentes, laxati salivatione, exciderunt. Accedebat febris vehemens cum magna captione capitis deliriisque nocturnis; deinde vomitus oriebatur, febris assumebat charactera hecticum et post quindecim dies aegrotus marasmo mortuus est.

Femina viginti tres annos nata, oris pallidi et morbosi, staturae macrae, iam quatuor annis ante inierat matrimonium necdum peperat. Cum initium curationis fieret, iam septimo vel octavo mense aegrotabat amenorrhoea et vehementissima, interdum foetida leucorrhoea; simul obstructionibus utebatur; massae faecales eductae erant durissimae, tuberosae, fuscae, et foedissimae; appetitus plane deerat; macritudo aegrotae admodum aucta erat, pulsus tenuis, premendo facile removendus; numerabantur fere nonaginta quinque ad novem ictus pulsi. Motus levissimus movebat vehementissimam Dyspnoeam; nec tamen pectus gravatum fuit

neque tussi, neque doloribus. Quum frustra cuiusvis generis remedia adhibita essent, denique medicus feminam curans mercurium praecepit, usui futurum sperans eam ob causam, quia orem uteri paullulum inveniebat amplificatum et portionem vaginalem duram et cuiusvis contactionis sensibilem esse. Aegrotae dabantur hora matutina et vespertina singula grana hydrargyri oxydulati nigri et octans grani opii pillulis involuta; simul infricabatur quovis vespere pars intestina femorum unguento hydrargyri cinerei. Postquam quintecim fere dies hoc remedio usa fuerat, obtumescebat gingiva, respiratio fiebat foetida, et Salivatio vehemens incessit aegrotam. Nihilominus in universum secundior fuit valetudo, appetitus non iam deerat, exoneratio alvi fere regularis et normali similis, ita ut aegrotae in posterum non nisi unum quotidie granum remedii daretur: Quum tres hebdomades praeterissent cum doloribus vehementibus menstrua per tres dies continuata redibant; ita ut medicus iam a quavis parte contentus esset habitu feminae. Nunc intermittebatur remedium; durabat certe per aliquas hebdomades Salivatio, sed multum, ex quo menstrua redierant, de vehementia sua deperdiderat. Denique postquam gargarismata Kalii oxymuriatici adhibita sunt et intrinsecus tonica, salivatio remota est, et valetudine femina constanter secunda utebatur.

Caius similis observatus est a doctore Ashwellii inque libro eius de morbis feminarum exacte enarratus; liceat paucis mihi eum referre, quia et ipse exemplum praestantissimum exhibeat generis eius Ptyalismi, quem Ptyalismum mercurialem vocant. Femina K. viginti quatuor annos nata primo, ex quo matrimonium inierat, anno abortum habebat, quem sequebatur dysmenorrhoea vehementissima septem ad octo dies durans adeoque viribus fuit exhaustis, ut cogeretur tempus aliquod insequens permanere in lectulo. Interea simul Leucorrhoea magis minusve vehemens et obstructio Diarrhoeis alternans accesserat. Quamvis cuius generis adhiberentur remedia, tamen peior in dies facta est eius valetudo. Macrior macriorque fiebat aegrota conguerebaturque aestum doloresque colli vesicae doloresque in coitu. Recognitione interna instituta inventum est, corpus uteri adauctum, durum et sensibile, collum uteri et ipsum crasssum, adauctum et solito durius, nec tamen ista durities cartilagosa, qualis in scirrho. His exploratis statim coire cum viro femina vetita est, iussaque iacere in tergo; simul curatio remediis mercurialibus introducta. Inde a vicesimo die Iunii mens. quotidie unum dabatur granum hydrargyri chlorati mitis et ter in diem quatuor unciae decocti radicis Sarsaparillae; die vicesimo quarto Iulii mens. stomatitis mercurialis simul cum

Salivatione vehementi incessit. Inque his nullum omnino repertum est menstruationis indicium, quamvis plus mensis ex illo tempore praeterierat. Decimo demum Augusti mens. menstruatio rediit cum doloribus exiguis, nullis adhibitis remediis narcoticis lavacrisve tepidis. Salivatio tamen ad summum gradum adaucta permansit, quamvis non nisi tertio quoque vespere granum unum hydrargyri chlorati mitis daretur. Vicesimo quinto Augusti intermittebotur remedium; redierat interea menstruatio sine doloribus, cruore squamulisque non admixtis; collum uteri fiebat molle, nec dum dolebat; Salivatio post intermissa mercurialia evanuit aegrotaque mox integra fruebatur valetudine.

VITA.

Natus ego sum Fridericus Guilelmus Gustavus Krause, Wettinis die XX mens. Iun. a. h. s. XXXV patre Christiano Leopoldo, qui in metallis regiis munere decumas redigendi fungitur, adhuc vivo, matre Henrietta e gente Ebeling, qua iam diu me orbatum esse doleo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis Wettinis informatus, in gymnasium Islebiense duodecim annorum natus vitae receptus sum, quod, cum adessem, regentibus primum Dr. Ellendtio, tum Dr. Schwalbio florebat, unde maturitatis testimonium adeptus vere anni h. s. LVII Halas profectus sum, ubi Brunsius ille Fridericianae universitatis Rector Magnificus civium academicorum numero et Blasius Ill. t. t. decanus facultati medicorum me adscripserunt.

Per quadriennium hisce scholis interfui: Ill. de Schlechtendal de botanice; ill. Knoblauch de physice; ill. Girard de mineralogia; ill. Heintz de chemia anorganica et organica, ill. Schaller de logice et psychologia; ill. Giebel de zoologia generali; doct. Reil de encyclopaedia et methodologia medicinae; ill. Schultze de osteologia et syndesmologia, de arte cadavera dissecandi, de anatomia comparata; ill. Volkmann de ana-

tomia cuncta descriptiva, de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia; ill. Krahmer de pharmacologia; ill. Blasius de chirurgia, de akiurgia, de herniis et vulneribus, de fracturis et luxationibus, de fasciis rite applicandis; ill. Hohl de arte obstetricia; ill. Vogel de pathologia et therapia et generali et speciali, de morbis venereis; doct. Mann de auscultatione et percussione; doct. Volkmann de anatomia pathologica.

Scholis clinicis interfui chirurgico-ophtalmiatricis apud ill. Blasius, obstetricis apud ill. Hohl, medicis apud ill. Vogel.

Quibus omnibus viris optime de me meritis summas ago semperque habebo gratias.

Iam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Cordis soni valvulis efficiuntur.

II.

In solvenda placenta methodus activa expectativae est praeferenda.

III.

Plica polonica non est morbus nationalis, sed crinium turbatione et conglutione efficitur.

IV.

Suturam cruentam in vulneribus capitis minime semper sequitur erysipelas traumaticum.

V.

Pollicem amittere idem est atque manum totam amittere.